

neglectus? Quid si justorum tepiditas in oratione et aliis piis operibus? Denique, etsi conatus impiorum ad tempus videtur eis ex voto succedere, id tamen non est diuturnum sed finem sortitur pessimum. Patet in Nabuchodonosore, Balthasare, Cyro, Xerxe, Alex. M. Romanis imperatoribus sub gentilismo. Quemadmodum enim pater, ubi virga castigavit filium, postea placatus et reconciliatus filio, iram suam convertit in virgam, eam confringendo vel in ignem mittendo: ita agit cum iniquis et tyrannis Deus quibus, ubi eorum interventu castigavit bonos, ad extremum severe irascitur, et perdit eos. Ita Deus, Ose. XX. post illatum supplicium sic loquitur: *Arcum, et gladium et bellum conteram de terra: et luculentius Isa. Væ X. Assur virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, ut diripiat prædam: et paulo post eam virgam se fracturum pollicetur: Et erit, inquit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assyriorum, etc.* Omnes hos redarguit psalmus a Christo in hodierno evangelio citatus. Ait enim inter alia de Christo: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* (Hæc enim verba de Christo, non de Deo Patre, recte intelligit August.) Judicabit ergo Christus omnes nationes, et æquissime quidem, quia implebit ruinas, hoc est, quiddam distortum et iniquum fuit, faciet rectum et æquum, omnibus jus dicit et tribuet, quod cuique debetur; denique, confringet in die iræ suæ reges, et conteret superbos, qui nunc erecto incedunt capite, et premunt justos.

VI. Alii sibi persuadent, eum esse tyrannum, seu nimis austerum, de nobis nihil sollicitum. Ita apud Job, c. XXII. cit. subditur in persona illorum: *Nubes latibulum ejus nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat, q. d. suis commodis attendit, nihil curat nos.* Sic fere etiam, licet dubitative, locuti Christo discipuli sæviante maris tempestate: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Marci IV. Nimis crasse servus ille piger apud Lucam, c. XII. qui talentum suum in terram fodit, aitque domino suo (Christum intellige): *Scio, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.* Sic respondent aliqui, cum urgentur ad servanda præcepta Ecclesiæ, v. g. ad solvendas decimas: Tollis, inquit, quod non seminasti: cum ad observandos dies festivos: Tollis nobis lucrum, quod possemus obtinere e labore et negotiatione nostra, tu vero non posuisti: cum ad ser-

vanda Ecclesiæ jejunia: Tollis nobis carnem, quæ exhaurietur, et enervabitur crebris illis jejuniis; alii cum discipulis illis dicunt: Perimus in paupertate, miseriis et peccatis nostris, et nihil ad te pertinet, nihil de nobis sollicitus es.

Vanam hanc persuasionem evertit, quod in psalmo cit. dicitur de Christo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Melchisedech revertenti de prælio et delassato Abrahamo obviam venit, panem et vinum primum Deo obtulit, deinde ipsi gustandum dedit, denique ei benedixit, Gen. XIV. Omnia hæc nos sperare a Christo possumus. Ipse enim fatigatis in prælio tentationum occurrere sua dulcedine et consolatione solet, uti ex vita S. Antonii scimus, quem superato cum dæmonibus certamine, miro gaudio replevit, et sensibili voce solatus est: ipse pro peccatis nostris obtulit Deo Patri corpus et sanguinem suum, offertque adhuc quotidie per manus sacerdotum: ipse etiam alit et sustentat nos non tantum pane et vino, seu cibo quotidiano, sed etiam pretioso corpore et sanguine suo: ipse denique, benedicit nobis dando gratiam suam et honorum omnium cumulum, tandemque post hanc vitam gloriam.

CONCIO VII.

CALUMNIÆ ALIQUOT HERETICORUM IN PONTIFICEM ET PONTIFICIOS REFUTANTUR.

I. Cavillantur calendarium novum. — II. Calumniantur prohiberi omnibus lectionem sacræ Scripturæ. — III. Calumniantur papam Joannem, ut aiunt, feminam. — IV. Calumniantur papam evacuare merita Christi. — V. Calumniantur subreptam sibi communionem sub utraque specie.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?
Matth. XXII.

Parum nimis responderunt Pharisei Christo ad interrogationem illam: *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* Solam enim regis stirpis dignitatem quam, ut homo habuit, illi tribuerunt: divinæ vero generationis majestatem quam ex psalmo (a Christo in hodierno evangelio citato) discere poterant, tacuerunt. Nimirum invidia excæcaverat eos. Multo ad hæc contemptius respondebunt nobis Lutherani et Calvinistæ, si eos interrogaverimus, quid sentiant de Christi vicario, pontifice Romano. Quid enim, o novatores, vobis videtur de papa? Cujus

filius est? Prorumpent illico in vocem illam decantatissimam: *Filius perditionis est.* Volunt enim de ipso apostolum dixisse, quod de antichristo dixit, II. Thessal. II. *Homo peccati et filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, etc.* Mira res, auditores. Christus suo vicario ejusque successoribus dixit: *Tu es Petrus (seu petra) et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Isti vero dicunt: *Homo peccati est, filius perditionis est.* Hoc clamitant ex cancellis, hoc scriptitant in libris. Dicerent saltem, filium esse honestorum parentum, principem sæcularem, sacerdotem magnum, etc. sed invidia in pontificem longe alia tela jaculatur; calumnias nimirum: quarum aliquas nunc refellemus.

I. Cavillantur calendarium novum Gregorianum, a papa Gregorio XIII. introductum, et dicitant ab innovatis hisce factis omnia in pejor ruisse, neque anni tempora amplius terminos et sedes suas servare, neque solitam cœli temperiem vigere, neque consueta olim fertilitate terram mortalibus subvenire, sicque hoc prætextu, alios deterrent ab amplectendo calendario novo, simulque a religione veteri. Sed respondetur primo, eandem calumniam sustinuisse olim Christianos a gentilibus omnes istiusmodi clades Christianorum religioni adseribentibus, ut testatur Orig. in Matth. c. XXIV. tr. XXVIII. Tertull. apolog. c. XL. S. Cyprianus ad Demetrianum; Justinus martyr, q. CXXVI. ad orthodox. Arnobius, l. I. contra gentes; S. Augustinus in Psalm. LXXX. incendium quod Nero in urbe excitavit, Christianis imputatum fuit, qui propterea magno numero neci dati sunt, Baron. in annal. anno 65. Gnosticorum hæreticorum turpitudines cæteros Christianos exosos faciebant, ibidem anno 120. ingens pestis sub M. Aurelio et L. Vero Christianorum religioni adscribatur, ibid. anno 170. alia item lues sub Gallo et Volusiano, anno 256. terræ motus sub Maximino, ib. anno 237. Ex quibus etiam colligitur clades hujusmodi omni tempore in genus humanum desæviisse; falso igitur adscribuntur novo calendario. Secundo, si nos tam perniciosæ mutationis ob Gregorianum calendarium receptum causa sumus, par erat, ut ipsi veteris calendarii tam rigidi custodes ab his incommodis immunem vitam ducerent at hoc non fit; quia quales æstates et hiemes nos habemus, tales habent et ipsi; et grando, pruina, aurigo, rubigo, bruchus, eruca, locusta aliquando æque apud illos fruges terræ vastat, ac apud nos. Simili modo dicebant olim ethnici, Christianos diis suis ob veneratio-

nem Christi invisos esse, et causam præbere, cur tot calamitatibus mundum affligant, ideo in ultionem deorum suorum ethnici contra Christianos insurgent. In quos scribit Arnobius, lib. I. «Ergo, inquit, humana patrocina dii quærunt, et nisi vestra fuerint assertione protegi, idonei non sunt ipsi qui propulsare, defendere suas valeant contumelias; quinimo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui, defendant seipsi: atque in ultionem majestatis offensæ, intestinas exerant, experianturque virtutes: » et mox: «Vobis secundas tribuant valetudines; adversas nobis ac pessimas. Opportunis imbribus vestra irrigent rura; pluviarum quæcumque sunt rores nostris ab agellulis abigant, lanitia curent vestra numerosis foetibus multiplicari, sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant. Ex olivis vestris atque vineis plenam faciant autumnitatem fundi: at ex nostris exprimi unum prohibeant palmites rorem. Ad extremum et ultimum, in ore vestro præcipitant suas fruges retinere naturam: at vero in nostro mel amarum fieri, olearum fluenta rancescere, et sub ipsis potum labris in acoris perfidiam vinum repente mutari. Quod cum minime fieri testificentur res ipsæ, neque minus ad nos quidquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis constet; libido quæ tanta est, inimicos atque hostes deos esse contendere Christianis: quos in rebus tristissimis atque lætis, nihil abs te videas ratione in aliqua discrepare. Si verum vobis permittitis, ac sine ullis assentationibus dici: Verba sunt hæc, verba sunt, res imo per calumnias credita, non cognitionis alicujus testimonio comprobata.»

Tertio, hujusmodi clades et persecutiones in Ecclesia semper fore; his enim crescit et conservatur Ecclesia. Unde S. Justinus martyr, in dial. cum Tryphone: «Quanto magis in nos sævitur, inquit, tanto plures pietatem fidemque per nomen Jesu profiteremur: haud secus, quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem fructuum: » et Tertull. l. ad Scapulam, c. V. «Nec deficiet hæc secta, (ait), quam tunc magis ædificari scias cum cædi videtur.»

Quarto, causam reformandi calendarii æquisimam et urgentissimam fuisse, quod ante Christophorum Clavium, viderunt etiam alii astronomi, uti Stoefflerus professor Tubingensis in suo calendario m. edito an. 1518. Etenim patres Concilii Nicæni, anno Domini 325. æquinoctio definiunt diem I. martii. Cum vero ab illo tempore effluerent plusquam mille anni, reperimus nostro sæculo retroactum fuisse æquinoctium usque ad 10. martii aut circiter, quia scilicet

anno bissextili intercalabantur minuta plusquam oportebat, et quot efficiunt centesimam trigesimam quartam partem unius diei, juxta Alphonsinam anni mensuram, quæ dat anno (non ut Julii Cæsaris mensura, quæ dat ei 365. dies et sex horas) dies 365. horas quinque minuta 49. secunda 16. quæ minor est anno Julii 334. fere parte diei. Unde fit, ut juxta hanc mensuram, (quæ justior deprehensa est, quam sit illa Julii Cæsaris) quovis 134. annorum spatio dies unus, qui alioqui exeresceret, omittendus sit. Si mensuræ Julii Cæsaris (365. dierum et sex horarum) insisteremus, sicut a tempore Nicæni Concilii usque ad Gregorium XIII. factum est, tunc ex residuis illis sex horis quarto quovis anno juste prodirent 24. horæ, adeoque integer dies intercalandus. At secundum, Alphonsi mensuram (quam nunc sequimur) veriore, non prodit integer dies, cum 134. parte diei (fere quadrante horæ) minor fit illa Cæsaris ut dictum; quo fit, ut exacto quovis 134. annorum spatio debeat omitti dies intercalaris, ne a vero cursu solis recedamus. Itaque anno 1582. sub Gregorio papa decem diebus subductis, rediit æquinoctium ad tempus, quo continebat sub Nicæni patribus. Proinde deinceps post annum 1600. jubilæo insignem quovis deinceps anno 134. currente intermittitur dies intercalaris, nunc an. 132. nunc an. 136. quippe qui soli bissextilis sunt, non autem an. 134.

Quare ii, qui adhuc observant vetus calendarium, decem diebus a vero æquinoctio aberrant, adeoque festa omnia decem diebus tardius debito celebrant. Qui error deinceps quoties exacti fuerint 134. anni, toties uno die augetur. (Itaque post 1340. annos (a reformato calendario) recedent a vero æquinoctio viginti diebus, adeoque festum S. Jacobi celebrabunt 14. augusti, seu in vigilia assumptionis novi calendarii, et sic de aliis festis.

II. Calumniantur a S. Scripturæ lectione omnes pene Christianos a pontifice et Tridentino Concilio arceri; in librorum scilicet prohibitorum indicis regula quarta. Resp. primo, neminem ibi arceri a Scripturæ lectione, sed a vernaculis tantum ejus versionibus, quas ipsimet hæretici testantur, non esse ss. litteras. Volunt enim solos fontes, id est, solum in veteri testamento Hebræum, solum in novo Græcum esse ss. litteras. Et confirmatur hoc ipsum ex eorum sententia tripliciter. Primo, variæ inter ipsos vernaculæ sunt versiones, non in diversis modo linguis, Germanica, Gallica, Polonica; sed etiam in eadem. Nam alia est apud nos Germanos versio Lutherana, alia Zwingliana seu Tigurina. Di-

versæ igitur in diversis gentibus, imo et in eadem, forent ss. litteræ; quod est absurdum. Secundo, corrigunt ipsi modo sic, modo aliter suas istas vernaculas, sacras igitur litteras corrigerent. Tertio, vetant Calviniani Lutheranam, Lutherani Calvinianam versionem. Num ergo vetant ss. litteras? Non inquit, sed earum tantum versiones corrigimus et vetamus, recte; idem facit Concilium Trid. loco cit. et nos cum illo.

Resp. secundo, regulam illam nec vernaculas versiones omnino prohibere, sed eas requirendas vult ab episcopis (prout regibus præscribitur, Deut. XVII.) earumque legendarum facultatem. Quod si regibus præscriptum fuit, ut descripturi Deuteronomium acciperent exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus idque ne in exemplarium aliorum varietate mendi forte quidpiam aut pravitatis inesset; quanto æquius est ab iisdem sacerdotibus pendere populum cæterum, in vernaculis biblicorum versionibus, quæ ab Ecclesia nondum probatæ, sæpenumero etiam nondum satis aptæ vel emendatæ sunt? Sane facultatem sumendi eucharistiam, qua nihil sanctius, nihil Christiano magis expositum, videmus apud ipsos Lutheranos et Calvinianos a Prædicantibus peti, et posse ab iis ejus sumptionem, si abusum cernerent, aliquibus vetari. Cur ergo non idem jus sit sacerdotibus in biblicorum versiones non probatas.

Resp. Tertio, facultatem hanc, aliis quidem in regionibus facile regibus et principibus, qui tam multa et magna alia impetrant, concedi: in nostra vero Germania jam pridem concessam videri. Nam catholicorum passim manibus Germanica Dietsbergii biblia teri sciunt ac cernunt episcopi et parochi, neque tamen reprehendunt; quin vero gaudent potius ac laudant, ut sic vel pestilentes hæreticorum biblicæ translationes emigrent: neque sint eorum ignari catholici, quibus inaniter gloriari ac exultari solent hæretici.

III. Calumniantur Ecclesiæ Romanæ prædisse aliquando feminam seu papissam, nomine Joannam, quæ ex stupro pepererit filium; adeoque papam meretricis esse successorem. Sed respondetur hoc figmentum esse, jamdudum a plurimis solidissime confutatum. Primo, quia hujus fabulæ primus scriptor fuit Marianus Scotus, qui primus eam scripsit ducentis et amplius annis post annum Domini 853. quo eam fabulam contigisse ponit, ante ipsum nemo unus scripsit, ne Græcorum quidem (qui alias æmuli et censores Romanorum erant), ex ipso transcripserunt postea Sigebertus schismaticus et alii. Secundo, non scripsit assertive (sicut mala fide

refertur in ejus codice Heroldi opera impresso) sed ex vulgi rumore; ita enim habetur in scripto codice, ex quo prima illa editio prodiit: *Joannes, qui, ut asseritur, fuit mulier*. Tertio, illam vulgi famam hausit absque dubio a schismaticis Ecclesiæ odio prosequentibus, qui quæ de Ecclesia Constantinopolitana vulgata erant, converterunt in Romanam. Eo autem tempore, quo hæc scribebat Marianus, fama erat feminam ordinatam esse patriarcham in sede Constantinopolitana, ut aperte constat ex epistola Leonis IX. Romani pontificis ad Michaellem patriarcham et Leonem Acridanum, scripta anno 1053. quo Marianus religionem ingressus erat, anno ætatis suæ vigesimo quinto. Quomodo vero Leo IX. Romanæ Ecclesiæ hostibus id objicere ausus fuisset, si majori infamia id in Rom. Ecclesia fuisset aliquando perpetratum?

Secundo, quia major habenda fides Anastasio bibliothecario, qui tunc Romæ præsens erat, et res sui temporis scripsit. Hic autem scribit Leonem IV. nequaquam anno 853. (ut habet Marianus) sed anno 855. demum vita functum esse, eique post sex dies statim substitutum esse Benedictum III. quem eidem Leoni immediate successisse scribunt omnes quotquot de successione pontificum scribunt, de Joanna vero illa altum silent. Quo jure ergo Joanna ista ponitur inter Leonem et Benedictum?

Tertio, Latini ipsi, qui post multa sæcula de ea fabula scripserunt, adeo inter se dissident, ut magis eam destruant, quam confirmant. Dissident in nomine, quo plerique ipsam Joannam antea nominatam volunt. Nam alii Agnetem, alii Gilbertam, alii Isabellam, alii Margaritam, alii Tuttam, alii Dorotheam: præterquam quod alii Germanam, alii Anglicanam dixerunt. Dissident in nominis ordine, nam alii eam vocant Joannam VII. alii VIII. alii vero IX. cum tamen fuerint iidem legitimi Ecclesiæ Rom. pontifices. Dissident et in tempore, nam alii eam anno collocant 853. alii sequenti, alii in an. 857. octavo alii, quidam 904. præter eos, qui ponunt eam post Martinum I. anno 553. alii post Joannem V. anno Christi 686. Et unde, qui post Marianum primum auctorem, ista scripsere, ab eo recedentes ista sibi tam diversa finxere? Dissident et in sedis tempore, dum alii eam sedisse tradunt anno uno et mense uno, et diebus quatuor; alii annis duobus, totidemque mensibus, et diebus quatuor aliis duobus annis cum dimidio; duobus tantum annis alii; alii vero quatuor tantum mensibus. Dissident etiam in fabulæ narratione, ut ne unus quidem reperiat, qui consentiat alteri, et nulla penitus historia de nomine, loco,

tempore et rebus quæ narrantur, adeo mendax, adeo inconstans, et varia, diversa et omni penitus verisimilitudine carens.

Denique, ridiculum est studium novatorum in hac fabula fulcienda et suadenda, ut ex eo continuatam hætenus successionem Rom. pont. jam esse successam et interruptam ostendant, quasi etiam si demus feminam electam in pontificem, pontifex illa fuerit, quæ ne minoris quidem clericalis ordinis capax sit. Qua ratione ne primus quidem ejus fabulæ scriptor Marianus inter Rom. pontifices eam numeret: dum, qui ante Leonem IV. vixit, Sergium numerat centesimum primum: Leonem successorem, centesimum secundum: Benedictum (Joanna absque numeri nota prætermissa) legitimum Leoni successorem centesimum tertium ponit, et sic deinceps. Qua ratione nihil lucri capiunt novatores, nisi ut dici possit, duobus illis annis et mensibus sedem pontificiam legitimo vacuum fuisse pastore, non tamen ob eam causam successionem a Christo per Petrum in posteros continuatam, fuisse successam: nam et alias accidit, ut majore etiam temporis spatio, sedes pontificia, dilata, per discordias eligentium, electione vacaret, nec tamen successionem desiisse quisquam unquam ausus est dicere, Bisciola, an. 853. Baron.

IV. Calumniantur papam evacuare merita Christi, et adscribere salutem nostram meritis nostris. Respondeo ergo primo, duplicem esse salutem nostram, inchoatam, quam sortimur in hac vita, dum justificamur et Christo reconciliamur per fidem et gratiam, et consummatam, quam expectamus a Christo in altera vita. Illam confert nobis Christus ut Agnus qui tollit peccata nostra ac proinde gratis et sine meritis nostris. Tametsi vero ad eam reconciliationem requiruntur etiam aliqui actus virtutum prævii, ut fidei, spei, timoris, pœnitentiæ, dilectionis, (ut expresse habetur in Scriptura, velut Eccl. I. *Qui sine timore est, non poterit justificari*, Luc. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, etc.*) velut dispositiones; non datur tamen his actibus salus inchoata seu reconciliatio, velut merces operi; quia non proficiscuntur a persona digna, constituta scilicet in gratia, quæ est fundamentum meriti. Itaque hanc salutem solis Christi meritis et gratiæ adscribimus. Alteram vero consummatam confert nobis Christus et judex redditurus unicuique secundum opera ejus, quemadmodum testatur Scriptura; ac proinde non nisi ex meritis nostris, (si modo ad merendum cælum vires atque facultatem habeamus, unde excipiuntur infantes et insani, quibus datur gloria ut hæreditas solum non etiam

ut merces vel bravium seu corona.) Tribuit enim Scriptura bonis operibus mercedem et quidem vitæ æternæ, bravium, coronam justitiæ, etc. eaque omnino requirit.

Resp. secundo, etiam opera illa quibus mere-
mur salutis consummationem non derogare quid-
quam meritis Christi, tum quia etiam ipsa sunt
dona Christi, a cujus meritis omnem merendi
vim accipiunt, sicut palmites a vite succum et
fructum: tum quia fundantur in mera Dei pro-
missione, non justitia dati et accepti, quia opera
nostra Deo multis aliis titulis debita, imo ipsius
dona sunt, nec ipsi ad quidquam utilia. Quid
quod Christi merita potius amplificantur per
merita nostra, quando illa tam potentia asseri-
mus ut operibus etiam nostris vim merendi dare
queant, sicut annulo ferreo magnes affricus vim
ipsi tribuit ferrum attrahendi, quam et ipse
habet.

Resp. tertio, adversarios sibi ex meritis Christi
perniciem struere, dum sibi persuadent non
esse necessarium ad salutem penitentiae et pie-
tatis operibus vacare, ex eo quod Christus nobis
vita et salus fuit. Sic olim Israelitæ, IV. Reg.
XVIII. æneum serpentem qui eis monumentum
esse debuit, quo excitati parentum suorum cog-
noscerent peccatum et impositum illis a Domino
supplicium ac tandem oblatam medicinam et
singulare in eis beneficium ut peccatum hor-
rarent, Deum diligenter, et magis essent in via
Dei constantes quam parentes fuissent, hunc
inquam serpentem colere pro Deo cœperunt et
adolere ei incensum, quasi in eo divinum quid
esset. Ita omnino hæretici abutuntur Christi
meritis, ut putent sibi per ea factam esse potes-
tatem et plenam libertatem ad peccandum et
quidvis mali audendum: qui potius Christo
grati esse deberent ob dimissa sibi peccata, et
in posterum cavere ne rursus Deum offendant,
sed peccata cane pejus et angue fugiant.

V. Calumniantur ab eo subripi laicis commu-
nionem calicis. Sed respondetur nihil illis sub-
ripi, quia nihil illis datum fuit. Nam etsi Chris-
tus instituit eucharistiam sub utraque specie,
non tamen præcepit omnibus usum utriusque
speciei, sed reliquit hoc dispositioni Ecclesiae.
Aliud autem est, aliud instituire, aliud præci-
pere. Matrimonium, ordo et plura alia a Deo
instituta sunt, non tamen præcepta. At licet ea,
quæ ad substantiam et essentiam sacramenti
instituti pertinent, tenenda et observanda sint,
si iis uti velimus: non tamen ea quæ extrinseca
sunt, circumstantiæ et accidentia. At Christum
sub externo symbolo panis aut vini accipi,
essentiale est eucharistiæ: sub duobus, acciden-

tarium; quemadmodum et id, vespere et post
cœnam accipi. Non præcepisse Christum ostendo.
Vel enim præcepit illo verbo: *Nisi manducaveritis
carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, etc.*
Joa. VI. vel illo: *Hoc facite in meam commemora-
tionem*, Luc. XXII. vel illo: *Bibite ex hoc omnes*,
Matth. XXVI. Non primo, quia ibi Christus tan-
tum urget realem et veram corporis sui sumptio-
nem tamquam necessariam quoad substantiam:
modum sumptionis non præscribit, quia nec
vini nec calicis mentionem facit. Potest autem
caro et sanguis Christi non minus sub una quam
sub utraque specie sumi, adeoque simul co-
medi et bibi. Ac licet utatur etiam verbo bibendi,
non tamen ideo requirit, ut per modum potus
etiam sumatur; siquidem in ss. litteris sæpe pro
eodem sumatur manducatio et potatio, ut Psalm.
LXVIII. *Dederunt in escam meam fel et in siti mea
potaverunt me aceto*. Ad hæc copula illa *et*, (dum
ait: *Et biberitis ejus sanguinem*) sæpe habet vim
disjunctivæ, vel Actor. III. *Argentum et aurum*
(id est, argentum vel aurum) *non est mihi*. Non
secundo, illo enim verbe: *Hoc facite in meam
commemorationem*, si quid imperatur, id totum
imperatur, ut sumatur eucharistia in commemo-
rationem: imo si quid circa modum sumendi
præcipitur, sola species panis præcipitur. Hoc
enim Christi verbum ponitur, Luc. XXII. et I.
Corinth. XI. (apud solum enim Lucam et apos-
tolum reperitur) post sumptionem panis tantum
et ante sumptionem calicis. Quod si apud apos-
tolum reperitur post sumptionem calicis, tamen
cum limitatione ponitur: *Hoc facite, quotiescum-
que biberitis in meam commemorationem*, q. d. quo-
ties sumere calicem volueritis; post panis vero
sumptionem, sine limitatione. Unde hoc Christi
verbum facit potius contra adversarios. Non
tertio, nam illud: *Bibite ex hoc omnes*, pertinet
tantum ad apostolos, qui soli erant præsentés
et cum Christo discubuerant, juxta id Luc. XXII.
Discubuit et duodecim apostoli cum eo. Patet ex eo,
quod Marcus ait: *Et biberunt ex eo omnes*, cap.
XIV. Qui omnes? Utique non nisi apostoli, quibus
hoc dictum erat, quique jam constituti fuerant
sacerdotes antequam illis calix daretur. Voluit
autem hoc loquendi modo indicare Christum, ut
ex eo calice omnes aliquid biberent, nemo solus
exhauriret; quemadmodum habet Lucas, cap.
XXII. ubi dixit: *Accipite et dividite inter vos*. Ad
hæc si quæcumque in ultima cœna dixit Chris-
tus, præceptum foret et ad omnes pertinerent,
præceptum foret et illud: *Et vos debetis alter alte-
rius lavare pedes*. Idem officium administrandi
eucharistiam pertineret ad feminas et parvulos.
Itaque nec verbum *manducate*, nec verbum *bibite*,

præceptum id continent, sed ritum tantum
conficiendi et sumendi apostolis, ut sacerdoti-
bus, præscribunt.

Vos ergo auditores: *Sinite*, hæreticos, *cæci sunt*,
et duces cæcorum. Et quemadmodum recte senti-
mus de Christo, cum dicimus esse Filium Dei;
ita etiam recte sentiamus de ipsius vicario, dica-
musque ipsum esse Ecclesiae caput in terris et
pastorem summum, qui infallibilem habeat as-
sistentiam Spiritus sancti ad Ecclesiam in fide
vera continendam, confirmandam et regendam.
Dicamus eum a Christo constitutum in sede
Petri; quæ instar petræ stabit, donec ponat ini-
micos suos, scabellum pedum suorum. Huic
nos adhæreamus, si veri pastoris veræ oves
esse volumus.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Impii conspirant cum opprimendus justus. — II.
Mira Christi bonitas. — III. Vera dilectio fidei debet
inniti. — IV. Sacræ Scripturæ magna utilitas. — V.
Digniora in proximo attendenda non viliora. — VI.
Impii suo tempore puniendi. — VII. Hæretici facile
convinci, sed non facile converti possunt.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?
Matth. XXII.

Mysterium est, auditores, quod legimus Gen.
XXXII. Jacobum patriarcham, quia vinci in lucta
noluit, ab angelo tactum in femore, ut claudi-
candum ipsi esset. Significat enim hoc Judæos,
patriarchæ illius filios, quod Christo pertinaciter
restiterint, nec cedere ejus doctrinæ, nec credere
voluerint, in pœnam contumaciæ suæ perpetuæ
claudicatos circa fidem Christi. Id videre est
in hod. evang. ubi credunt quidem Christum
esse filium David, et hoc pede recte incedunt:
sed interim agnoscere nolunt eundem esse
etiam Filium Dei, et hoc pede claudicant. Unde
bene de ipsis dicitur Psal. XVII. *Filii alieni* (He-
bræi a me abalienati) *mentiti sunt mihi* (negantes
me esse Filium Dei, ut exponit Haimo), *filii
alieni inveterati sunt* (quia defecerunt et refrixe-
runt in majorum suorum fide et pietate) *et clau-
dicaverunt a semitis suis*. E contrario de nobis
Christianis e gentilismo ad fidem vocatis imme-
diate præmisit: *Populus quem non cognovi servivit
mihi, in auditu auris obedivit mihi*. Hoc ut verifice-
mus, auditores, audiamus doctrinam Domini
nostri et obediamus ei.

I. Videri possit alicui sterile nonnihil hod-
evangelium: sed si bene expendatur, fecundis-
simum reperierit. Imprimis enim videmus im-
pios, inter se alioquin discordes, conspirare in
unum, quando justus opprimendus est et veri-
tas. Scribit namque S. Matthæus, c. XXII. eo-
dem fere tempore accessisse ad Christum diver-
sarum sectarum homines, ut tentarent eum;
primo, Pharisæorum discipulos cum Herodianis,
ut interrogarent eum, num liceret censum dare
Cæsari. Quos cum sapientissimo responso con-
fudisset Dominus, succedunt Sadducæi, qui ne-
gabant resurrectionem, ideoque ridiculam ei
quæstionem proponebant de uxore una, quæ
successive nupta erat septem fratribus, morte
immatura præventis, quærentes cujusnam e sep-
tem fratribus futura esset uxor in resurrectione.
Cum etiam istorum cæcum errorem pulcherrime
redarguisset, veniunt novissime Pharisei et le-
gis doctores, quasi triarii et invictissimi milites
cum quæstione, quam audivimus in hod. evange-
lio. Omnes istorum sectæ inter se dissidebant, et
mutuis se vulneribus cædebant: at nunc cum de
Christo capiendū agitur, omnes in unum conspi-
rant collimantque scopum. Refert Plinius, l. X. c.
LXXIV. corvo et vulpi naturales esse inimicitias,
quod hæc pullos ejus infestet: at ubi æsalon
parva avis catulos vulpeculæ vellit, corvos in
auxilium vulpis advolare et auxiliari velut ad-
versus communem hostem; siquidem parva illa
avis etiam corvi ovis insidiari solet. Hunc in
modum vulpes illa Herodes (sic enim appellatur
a Domino, Luc. XIII.) et corvus ille Pilatus, alio-
quin inter se dissidentes et mutæ jurisdictioni
insidiantes, inierunt amicitiam, cum adversus
parvam illam avem, Christum, qui eorum vitia
carpebat, pugnandum sibi arbitrabantur. Idem
faciunt canes. Cum domi de ossa inter se dimi-
cant et forte mendicus domum ingreditur, mox
composita pace unanimiter eum invadunt. Expe-
riuntur hoc multi justi, quos invadunt impii
pari studio et consensu, tametsi inter se alio-
quin discordes: experitur Ecclesia Christi, quam
simul et unanimiter vexant sæpe hæretici diver-
sorum dogmatum. Hi enim inter se licet mire
digladientur, ubi tamen in catholicos pugnan-
dum est, ibi vires et arma jungunt, imo sæpe
Turcam etiam in auxilium advocant; uti fecere
olim Ariani, qui et gentiles et Judæos concitare
in catholicos non cessarunt. Athenæ et Thebæ
inter se infestissimæ erant: sed cum Philippus
Macedo diu dissimulatum bellum Atheniensibus
inferret, Thebani facta societate eis se junxere,
metuentes, ne victis Atheniensibus, vicinum
belli incendium ad se transiret, Maiol. tom. III.